

## PRUDENCE

## EPILOGUS (35 vers)

v.1                   Immolat Deo patri  
 2                   pius, fidelis, innocens, pudicus  
 3                   dona conscientiae,  
 4                   quibus beata mens abundat intus.  
 5                   Alter et pecuniam  
 6                   recidit, unde victitent egeni.  
 7                   Nos citos iambicos  
 8                   sacramus et rotatiles trochaeos,  
 9                   sanctitatis indigi  
 10                   nec ad levamen pauperum potentes.  
 11                   Approbat tamen Deus  
 12                   pedestre carmen et benignus audit.  
 13                   Multa divitis domo  
 14                   sita est per omnes angulos supellex :  
 15                   fulget aureus scyphus,  
 16                   nec aere defit expolita pelvis ;  
 17                   est et olla fictilis,  
 18                   gravisque et ampla argentea est parapsis ;  
 19                   sunt eburna quaequam ;  
 20                   nonnulla quercu sunt cavata et ulmo.  
 21                   Omne vas fit utile,  
 22                   quod est ad usum congruens herilem ;  
 23                   instruunt enim domum,  
 24                   ut empta magno, sic parata ligno.  
 25                   Me paterno in atrio  
 26                   ut obsoletum vasculum caducis  
 27                   Christus aptat usibus,  
 28                   sinitque parte in anguli manere.  
 29                   Munus ecce fictile  
 30                   inimus intra regiam salutis.  
 31                   Attamen vel infimam  
 32                   Deo obsequelam praestitisse prodest.  
 33                   Quidquid illud accidit,  
 34                   juvabit ore personasse Christum.  
 35                   Quo regente vivimus.